

1.
2.
3.
167
1.
167
1.
167
1.
2.



1671.

1. Holtermannus, Brunaldus Mauricius: De jure
vendendi.
2. Kromsch, Godefridus: De bonae et malae fidei
possessione.
3. Scharpff, Georgius Romanus: De jure inter
conjuges.

1672.

1. Teubach, Johanns Helpricus: De principum et
privatorum contractibus ejusdem rei nomine
cum pluribus iustis.

1674.

1. Teubach, Johanns Helpricus: Discursus pacti
de retro vendendo.

1675.

1. Tesmar, Johannes: Tribunal principis peregrini
nantis
2. Tesmarus, Johannes: Analecta et lit. P. de conditionibus
in publicis hoaribus

1676.

1. Tormar, Johannes : De pilagio
2. Tormar, Johannes : De sorte

1677.

1. Tormar, Johannes : De obsidibus.

1678.

1. Tormar, Johannes : De processu contra mortuos

1679.

1. a, b, c Hallermannus, Knudus Mauricius : De negotia
advocatorum. Accedit: virgae, virgae ad ju-
cis defensorem loco in Dei elisio pro
Francisco Vicente. 2^o II. 3 Junii. 1681 - 1707.

2. Vette, Johannes Mauricius : De his, quae circa
Inopia iusta sunt.

1680

1. Cruizer, Georgius Daniel : De quasi usufructu.
2. a, b Hallermannus, Knudus Mauricius : Von Ketzer
Turist seu sine lege monstrum juramentum.
2 Junii. 1681 - 1745

1680

3. Kleinschmid, Joh. Mauricius: Analysis § 15 proae.
falem & et § in computatione q. l. scimus vel. G.
D. iure deliberandi.

1688.

10, 6. c. Holtermannus, Arnoldus Mauricius: Vc
vario juris un. et alium in curiis et cancell.
lariis 3 Imp. 1681, 1715 - 1716.

Faint, illegible handwriting on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side of the page.







Pri. 2. num. 18. P. 19.

6

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE VENANDI,

1671, 1.

Quam,

Divini Numinis aspirante gratiâ,

Sub PRÆSIDIO

Nobilissimi, Clarissimi & Consultissimi VIRI,

DOMINI

ARNOLDI MAURICII
HOLTERMANNI,

U. J. D. Consiliarii Hassiaci & Professoris
Ordinarii,


Ad diem 9. Septembr. horis locog. solitis,

Publico examini subijcitur,

ALRICH HEIJENGAH,

Embdâ Frisus Orientalis,

LL. & Philos. Stud.



MARPURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. LXXI.



P. 132



*Nobilissimis, Magnificis, Amplif-
simis, Spectatissimis & Doctissimis*
VIRIS,

DN. CHRISTOPHORO

BUDDE, J. U. D. Doctissimo ac civitatis
Embdensium Consuli Pruden-
tissimo, &c.

DN. IOANNI ANTONIO

ORTH, J. U. L. ac Reip. Embdanæ
Senatori Gravissimo.

DN. OTTONI à COLLEN,


Ecclesiæ Embdanæ Pastori vigilantissimo,
dignissimo.

*Patronis ac Fautoribus meis per ata-
tem plurimum venerandis, co-
lendis,*


*Hæc studii mei in jure primitias in humil-
lima observantia proniorisve
affectus τεμπήρον*

D. D. D.

ALRICH HEIJENGAH.



PRÆFATIO.



*Q*uod in more illis qui ter-
 rarum situs pingunt, ut
 vastissimum aliquem di-
 strictum depicturi in bre-
 vi quasi tabella, apices
 tantum & culmina re-
 rum suprema adumbrent
 & delineant, id & mihi in amplissima juris
 venandi materia disputaturo usu venit; sin-
 gulas enim jucundissima, antiquissima &
 maxima quotidiana hujus materia contro-
 versias ob temporis brevitatem excutere,
 quando non licet, paucas in presentiarum
 tantum & potissimas, quod fœlix faustum-
 que sit, hac vice proponam, exactiorem &
 pleniorẽ tractationem in aliud tempus re-
 feruans.

A

THE.

2
 THESIS PRIMA.

Kynoyeius seu venatio, cujus præcepta duo elegantissimi Poëta nobis tradidère, *Gratius & Nemesianus*, ad quorum *Cynegetica* doctissimum scripsit commentarium *Janus Vlitius*, variis sumitur modis, I. pro *arenaria venatione*, hominum cum bestiis depugnantium *c. qui venatoribus* & in *gloss. dist. 86. l. 1. §. 6. ff. de postul. l. 12. ff. de leg. 1. l. 5. ff. de pollicit. l. 4. de administr. rer. civit. Nov. 105. c. 7. quod cruentum spectaculum l. cruenta. Cod. de Gladiat. ludus venatorius dicitur l. 8. §. 11. ff. de pæn. in quo plebs Romana olim maxime vel delectabatur, vel verius insaniebat: *Constantinus* autem Imperator hunc ludum non ludum rectissime è toto orbe Romano sustulit *d. l. cruenta. Cl. Lips. lib. 1. Saturn. c. 12.* tanquam illicitum & naturæ repugnantem. II. sumitur pro *venatione hominum oppressiva*, & nil est aliud quam tyrannis: qualis Venator cluit *Nimrod. Genes. 10.* III. pro *venatione adulatoria* pseudopoliticorum nostrorum, aliorum dicta & voces aucupantium, *Pruckman. in tract. de Reg. §. venatio. c. 3.**

I I.

Et si IV. vocem hanc figuratè accipere volumus, longe plura venationum sunt constituenda genera & simulachra: etiam *puellarum. Nov. 14. in pr.* quarum scilicet pudicitia attentatur, *l. 15. §. 20. ff. de injur. Pastorum*, qui canibus lupo pecus extorquêt, ut olim fecit *David. 1. Reg. 17. v. 37. & piscatorum hominum*, quales Apostolos suos ipse Christus vocabat, *Matth. 4. v. 19.* quæ piscatio fit per prædicationem Evangelii. *c. non turbatur. 24. q. 1. c. est aliud. ead.* Et *Pedicularum*, de quibus piscatores sese pediculantes *Homero* olim tale proposuerunt ænigma, quod cum solvere non posset, dicitur seipsum suspendisse,

In syl.



3

*In sylvis leporem venor bis quinque catellis,
Quos capio perdo, quos non capio mihi seruo.*
Et Plaut. parasitos vocat venaticos: & hominum venatores Plagiarii dicuntur *Thol. de Rep. lib. 36. c. ult. num. 2.*

III.

Nos hic intelligimus venationem *saluosam, sylvaticam, recreativam*, quæ fit cum cornu & clamore adhibitis canibus venaticis *l. 28. l. 29. ff. ad Leg. Aquil. l. 55. ff. de acq. rer. dom. lib. 2. Feud. tit. 27. versu. nemo retia.* quam pro ratione animalium in cælo, terra & aqua viventium *l. 1. ff. de acq. rer. dom. Psalm. 8. v. 8.* triplicem faciunt: *Venationem in specie sic dictam, Piscationem & Aucupium.* *Treuth. Vol. 2. disp. 20. th. 2. Wesenb. in parat. ff. de A. R. D. Iulius 11.* Pontifex Romanus divisionem hanc ad diversos hominum mores applicans, Hispanos volucres cæli appellavit, Germanos pecora campi, Venetos & Gen uenses pisces maris, *Zwvingl. Vol 6. lib. 6.* Hæc *venatio* definitur, quod sit *jus seu facultas libera occupandarum animantium ferarum, volucrum & piscium, in nullius dominio existentium.* Vernacula nostralingua dicitur *die Wildbann/das Gejagt/ Wildbans oder Jagtsgerechtigkeit/ Forstrecht oder Forstliche Obrigkeit*: quod tamen accuratè loquendo differt, ita ut *jus foresti* totum sit integrale, continens non tantum bannum ferinum, sed alia juri forestæ ad hærentia, v. g. *Gebott und Verbott die Jagt betreffend/Wald der zu hâgen/ Fronen zu fordern.* *Ruding. cent. 2. sing. Obsev. 42. Matth. Steph. lib. 2. de jurisd. p. 1. c. 7. membr. 1. num. 440.*

IV.

Ut ergo pergamus generaliora harum trium Venationum specierum proponere: *Q. An Venatio sit licita & honesta?*

A 2

honestas? 32. Et si sint, qui cum *Augustino* hoc exercitium statuunt illicitum & artem nequissimam & nequitiam publicam. c. 9. & 10. *dist.* 86. à quibus non longe absunt cavillatores illi, describentes Venatorem *quod sit bestia, sedens super bestiam, manu tenens bestiam, secum duceus bestiam & insequens bestiam:* tamen in se licitam & honestam eam esse dicimus, jure divino & naturali, civili & canonico regulariter permissam & concessam, ob varias rationes & fines principales & minus principales, qui consistunt in variis commodis rei œconomicae infervi-entibus: in delectatione, in corporis exercitatione, in excitatione animi & valetudine firmanda & conservanda. *Gen.* 1. v. 26. & 28. *Lev.* 17. v. 13. *Psalm.* 8. *1. Cor.* 15. v. 27. *can.* 7. *dist.* 1. arg. §. 12. *Inst. d. R. D. l. 1.* & 3. ff. *de Acq. rer. dom. l. un. Cod. de venat. fer.* Germani imprimis olim huic exercitio dediti, *Schönb. Polit. l. 2. c. 28.* Romani Imperii Proceres ordinarium olim Venatorem constituerunt, quam dignitatem hodie ad Duces Wurtenbergicos putat translata, *Freher. libr. 1. Orig. c. 15 p. 107.* quorum insignia exornata sunt cornu venatorio & cervino. *D. Otto. Jure publico. l. 4. p. 525.*

V.

Hinc jus civile Venatoribus, quia comœtati & annonæ consulunt, immunitates certas & à muneribus gravioribus vacationem concessit. *l. ult. ff. de jure immuni. Prückm. de regal. c. 4. §. venatio. num. 6.* Abusus verò venationis in *Henrico 1. Aucepe, Hadriano, Maximiliano 1.* & aliis Principibus, qui seposita omni Reip. cura huic exercitio nimium se dederunt, semper improbat: v. g. si fuerit nimia ac per illam necessaria vocationis munia ommissa, *c. an putatis. dist. 86. l. 7. C. de excusat. mun.* Si die festo institua-

5
stituat, si per illam sata conculcentur, ad quorum re-
stitutionem Principes tenentur. *Zoanet. de venat. num. 73.*
Trentl. 1. disput. 20. th. 3. Si quotidie subditi ad venationes
sub pœna evocentur & multitudine canum alendorum
graventur ab efferatis illis Actzonibus. Si magicæ artes
venationibus adhibeantur, per quas felicitas captatur,
qualis olim erat Dianæ imploratio in Icaro Insulâ, quâ
præeunte semper feliciter cedebat venatio. *Cœl. lib. 23.*
lect. antiq. 30. in fin. Hyeron. in c. 1. dist. 34. c. 11. dist. 86.
nullum sanctum in sacris reperiri ait venatorem, sed mul-
tos occurrere malos, ut Ismaelem, Esavum & divitem
istum epulonem, quem ex pluralitate canum quos aluit,
multi colligunt fuisse venatorem, *Luc. 16.*

V I.

Olim venatio igitur jure divino & naturali seu gen-
tium quibusvis hominibus competeat nullo persona-
rum habito respectu, & quicquid venatione vel aucupio
acquirebant, illorum erat. §. 12. *Inst. de Rer. divis.* sive hoc
caperetur in fundo nostro sive alieno, quia quocunq;
loco sunt feræ, dummodo sint in libertate naturâ, sunt
nullius & transeunt in jus occupantis: nec interest an fun-
dus alieni Dominus me ingredientem prohibuerit, annon;
quia utroque casu fera capta sit capientis, *l. 3. ff. de Acq.*
rer. dom. sed illo casu Domino prohibenti adversus ingre-
dientem injuriarum competit actio, permittenti non.
idem *l. 13. §. fin. ff. de injur. arg. l. 11. C. de servit. & aq. l. 2.*
§. si quis in mari. ff. ne quid in loc. publ. l. 16. ff. de Servit. prad.
rusic. Nec interest, utrum manu, vel instrumento, puta
reti vel laqueo capiantur: neque se expeditaverint, neque
ab alio fuerint expeditæ, quo casu in hunc actio in factum
est competitura *l. 55. ff. de Acq. rer. dom.* Et hoc erit ita ca-

A 3

pientis,

ipientis, quamdiu ejus custodia continetur, quam si evaserit & in laxitatem naturalem se receperit, desinit capientis esse & rursus fit occupantis: quod in dominio ferarum singulare, quia aliarum rerum dominium etiam amissa possessione retinemus. *l.3. §.2. ff. d. acq. rer. dom. Cristin. decis. 84. num. 20.*

VII.

Sed si fera bestia lethaliter si vulnerata, ita ut statim capi possit, non erit tamen vulnerantis sed capientis. *§.13. Inst. de R. D.* quod defendimus contra *Treatium* & alios, qui putabant feram ideo esse vulnerantis, qui paria sunt occidere & causam mortis præbere: *arg. l.15. ff. ad L. Corn. de Sicar.* item, damnum dare censetur, qui occasionem damni præstitit. *l.30. §.3. ff. ad L. Aquil.* destinata ad certum finem, quandoque habentur pro perfectis. *l.41. §.14. ff. de leg. 1.* Potentia propinqua actui pro ipso actu habetur. *l. pen. ff. de testam. milit.* Sed possessio non solo animo acquiritur sed animo & corpore simul. *l.3. §.1. ff. de acq. vel amit. poss.* *Treatii* tamen opinio inter Venatores multis in locis est recepta, quorum consuetudo omnino tunc spectanda & attendenda. *Georg. Mor. p.1, c.8. n.5. Myns. & alii ad dict. §.13. Inst. de R. D.*

VIII.

Quid juris, si quis ovem de ore lupi aut gallinam de ore vulpis, vel pisces de ore felis eripuit, suntne tunc hæc animalia eripientis, an verò manent prioris Domini? *Res. Nos priori Domino hæc restituenda putamus arg. l. Pomponius. 44 ff. de acquir. rer. domin.* Consentit *Sebast. Med. tract. de Venat. part. 2. quæst. 19.* Sic & Rusticus inveniens Falconem cum sonaleis argenteis in pedibus junctis priori Domino illum restituere tenetur, *arg. l.44. d. l.8. in ff. famil.*

7

famil.erc. §. furtum. Inst. de Obligat. que ex delict. nasc. Si autem secum illum domum portet & Falco forte apud ipsum moriatur, tenebitur Domino ad Falconis æstimationem, actione scilicet in factum. Iacob. d. S. Georg. in tract. feud. verb. Et cum venationibus, n. 6. argumento l. falsus. §. si factum ff. de furti junct. l. quã actione. §. Celsus. ff. ad L. Aquil. Vide tract. de Falcone in p. 7. Noe Meurers Jäg- und Forstrecht.

I X.

Objectum venationis sunt tantum feræ, id est, omne illud animal quod à cicure discretum est, cui à natura vis infinita insita est libere vagandi in terra, mari, aëre: unde feras à ferendo volunt esse dictas, quod naturali suo impetu ferantur, vel quod è hominum conspectu se auferant in solitudines: itaque excluduntur domestica animalia & cicurata, quas qui capit aut lucri causa intercipit furtum committit. §. 16. *Inst. de R. D.* quare ferarum nonnulli tria statuunt genera: I. quædam prorsus feræ sunt & hominibus nocentes, l. 1. §. 10. *ff. si quadrup. paup. fec. dic. v. g.* leones, ursi, lupi, serpentes, vulpes, quibus in mari respondent bellæ marinæ l. 44. *ff. de acq. rer. domin.* quarum captura & occisio cuivis permissa, etiam in occis alias prohibitis, l. un. *C. de venat. ferar. §. nemo retia. de pac. ten. art. 61. lib. 2.* Landr. adeo ut etiam ad id præmio invitentur homines. II. Quædam sunt cicurata ab artificibus, vel mansuetariis magistris, qui callent,

Quadrupedum omne genus postis domitare magistris,

Exorare tygres, rabiemq. auferre Leoni.

Talis tuit cervus cicuratus quem Fridericus Rex Danicæ torque aurea donavit hisce rythmis: Lieber Jäger laß mich leben/ diesen Halsband hat mir König Friederich gegeben.

ben. Hæ tamdiu in dominio nostro sunt, quamdiu animum revertendi non amiserunt *l. 5. §. 5. ff. de Acq. rer. dom.* si amifere, vel etiam si damnum inde metuatur, capi vel occidi possunt: quare in spectaculo Læo caveam quia erat transgressus, globo fuit trajectus, *Camer. lib. 1. c. 22.* & qui has bestias solutas vel ligatas tenet, qua vulgo iter fit, tenetur de damno ab illis illato. *l. 40. & seqq. ff. de Edil. Edict. Treuil. 1. Disput. 18. sb. 3.*

X.

Quædam III. feræ sunt, quæ non nocent homini, nisi exacerbata *l. 1. §. 4. ff. de quadr. paup. feci. dic.* sed inferviunt ejus utilitati, v. g. cervi, hinnuli, capræ, lepores. *l. 5. §. 5. ff. de A. R. D.* quarum venatio instituitur non tam pro damno vitando, quam lucro captando, quas consuetudo venatorum ex quantitate sua æstimatas dispescit in majores & minores: illarum venatio dicitur superior, die Jagt des hohen / rohten und schwarzen oder groben Wildprets: harum inferior, die Jagt des kleinen / worunter gehören Haasen / Rehe / Füchs / Hünner / Enten / Krammetvögel / Wachteln / Vogelfangen / Hünnerbeiffen. Inter has *Martialis* lepore, lepidissimo adeo animali, ut nemo sit, qui si eum videat, quando vestigatur, quando invenitur, dum currit, dum capitur, non obliviscatur quicquid amatit, ciborum principatum tribuit:

Inter aves turdus, si quis me Iudice cerset,

Inter quadrupedes gloria prima lepus:

Cujus etus etiam creditus fuit formæ gratiam conciliare. *Cæli Rhodius. lib. 26. c. 30. & 31.* ut mirum quare Britannii eo abstineant: cujus incurfus sæpe omnivolus & fatalis, ludibria sua Diabolo sub forma hujus animalis exercente:

Pier.

9

Pier. Valerius versum hunc recitat : *gaveis ô λεγεις, δυσμενεις*
νοισι τω. 6vs id est, inauspicatum dat iter oblatus lepus.

XI.

Loca ergo venationum in quibus hæc animalia capienda, sunt omnia illa in quibus inveniuntur, v.g. in proce-
diis: l. 16. *de serv. rust. prad. l. 3. §. 1. ff. de A. R. D. saltibus &*
montibus. l. 26. ff. de usufr. potissimum tamen sylvis &
nemoribus etiam circumseptis l. 3. §. 14. *de A. P.* Vulgo
voce Francicâ foresta dicuntur: *LL. Longobard. vide*
libr. 1. tit. 21. in fin. & libr. 3. tit. l. 35. capit. Carol. lib. 4. tit. 42.
& 57. & eorum præpositus, Forestarius, *Forsmeister*/
Oberforsmeister. Et hæc nemora vel natura loci vel ho-
minum industria sunt circumsepta: illa dicuntur Germa-
nis *Hagen/ Ghege*: de quo sepimento una pars urbis
Brunswicensis dicta est Haga, uti & urbs vel pagum Hol-
landiæ Principis Aurasionensis aula destinata: qualis
munitio non solum fit arboribus & dumeris, sed etiam
per poenale edictum, quod Germani *bannum* vocant:
c. 27. X. de spons. tract. de Weichb. Saxon. c. 68. num. 8. unde
natum *bannum sylvestre, Wildban* quasi *Waldban.* Ta-
les in Saxonia tres fuisse saltus, in quibus bestius in eis com-
morantibus pax per bannum imperii fuit tributa. *Lindebr.*
in Chron. Caroli M. fol. 65. unde colligunt illo tempore in
aliis liberam adhuc fuisse venationem, & appellationem
foresti pertinuisse ad sylvas regias banno munitas.

XII.

Hominum industria quæ sunt munita & arte, *Viva-*
ria propriè dicuntur, in quibus feræ inclusæ aluntur, sive
ad prolificandum sive ad mensuram delicias. *Colum. lib. 8.*
c. 2. Varro in genere *επιβοληστικα* vocat. Jus Canonicum
garinas in *clement. 1. §. porro. de stat. mon.* fortè à *garen*, quæ

B

Ger-

Germanis retia dicta: *Thiergarten* alias vocant, qualia Romæ primus instituit *Fulvius Hirpinus*. *Plin. libr. 8. c. 52.* *Varro* refert in agro Laurentii fuisse vivarium in sylva 50. jugerorum, in quo Domino cum amicis prandente ad tubæ sonum comparuerint cervi aliæque feræ magno numero. *Cresc. lib. 8. c. 3. lib. 9. c. 80.* plura horum exempla habet *Polyd. Virg. lib. 3. de rer. invent.* Animalia & feræ quæ in sylvis illis circumseptis vivunt, in libertate naturali sunt relictae *l. 3. §. 14 ff. de A. R. D. Mejer. libr. 41. ff. iii. 1. 15.* Ast quæ in hisce vivariis sunt, etiam sint feræ, at tamen quia ita sunt inclusæ, ut quandocumq; velimus eas capere possimus, easdem potius circumcituratis aut numeramus, quare citra furti crimen ab aliis capi non possunt *l. 62. §. 1. ff. de usufr. l. 5. §. 5. vers. cervos ff. de Acq. R. D. l. 3. §. 14 ff. de Acq. poss.*

XIII.

Licitum quoque est ita in flumine, lacu aut stagno privati unicuique piscari, si non in specie à Domino prohibeatur, pisces enim in ejusmodi locis degentes non possidentur ab eo cujus est lacus, flumen aut stagnum. *l. 3. §. item feras. 14. ff. de acquir. vel amitt. poss.* quare naturali jure ut feræ & aves sunt occupantis, quia quod nullius, naturali ratione occupanti cedit: aliud erit si pisces in piscina alicujus contineantur, isti enim sunt in dominio & possessione piscinæ *l. 3. §. 14. d.* factæ hominum operâ & industria, in quam hominum opera & industria pisces sunt immitti, in quâ etiam quasi custodiuntur & occupati tenentur: quare etiam piscator non verò venator vel auciceps, in aqua bona fide possessa pisces captos non facit irrevocabiliter suos, sed domino lacus tenetur restituere, cum pisces, non feræ & volucres, regulariter sint in fru-

ctui

Et *l. 26. ff. de usufr.* imo fructus ipsi lacus aut stagni, quia ex aqua ipsa ut fructus ex terra nascuntur. *arg. l. funes. ib. inf. ibiq. Barth. & Gorhofer junct. l. seq. ff. de act. empt. Guid. Pap. decis. 91.*

XIV.

Hodie Jus venandi, & si feræ bestia & volucres sint res communes, quarum Dominium Deus ab initio non solum Principibus sed universo hominum generi subjecit, ita ut harum usum omnibus communem esse vellet, *Gen. c. 1. v. 19* recte tamen subditis est ademptum & ad solos Principes est restrictum: cum in genere tantum hoc verum sit, & eo modo quo etiam orbem terrarum dedit ceteris filiis hominum *Psal. 115. v. 16.* non in individuo huic vel illi, cum multi sint, qui vix tantum in illo possideant, ubi caput reponant eum Christo. *Matth. 8. v. 20. Ioh. 12. v. 16.* sed ita ut ea animalia cum terra possideant juxta dispositionem juris humani. *c. quo jure. dist. 8.* quod jus dominia rerum inter divites & pauperes inæqualiter distribuit: ita tamen ut non prorsus sint exclusi privati ab omni venatione, quia possunt eam à superioribus acquirere variis modis, per contractus, privilegia, investituram, consuetudinem, præscriptionem, per quos modos hoc jus hodie solet competere. *Treutl. 2. disp. 20. sb. 3. Gryph. tract. de insul. cap. 9. num. 40.*

XV.

Venatio ergo hodie est concessio Principis tum publicis tum privatis in locis: hic enim cur non potuisset ex gravi & justa causa hoc jus subditis auferre & ad se transferre: quales fuere, ne ferarum genus prope omne ad internecionem usque devastaretur. *Tiraq. de nobil. c. 37. n. 150. 2.* Ne occasio latrocinii præberetur, qua

B 2 ratio-

ratione armorum usum etiam privatis ademerunt. *l. un. C. ut armor. us. in sc. princ. interd. lib. 2. Feudor. 27. §. 5. de pac. ten. Iust. Mejer. libr. 21. Pand. tit. 1. th. 13.* Venatio enim bello & pugnae est quam simillima, quae subditis praecidenda, ne ferocientes mutuis postea concidant telis. 3. Ne homines privati & plebei à suis officiiis, imprimis verò ab agricultura abducerentur: agros enim excolere & artificia, multum interest Reipublicae, *l. 2. C. de fer. auth. Agricultores. Cod. qua res pign.* quod & hodie fieri praeter experientiam docet *Constit. Ludovici Ducis Würtenb. de anno 1588. ibi: So bald sie sich dem Wildprets schießen ergeben/wercklos und Faullenger werden.* Et hodie si non de jure tam quaerendo, quam quaesito quaratur, thesis nostra est verissima, vel propter immemorialem praescriptionem, quae ut usucapio verum potest tribuere Principi dominium, ita ut nullus habeat, de quo conquiri queat, *Arnif. de jur. Majest. lib. 3. c. 4. n. 9.*

XVI.

Hoc tamen consuetudine introduci aut praescriptione posse negant, nè subditi segetes sepimentis cingant, feras bestias stantibus & pendentibus fructibus abigant propriis agris, nè latratores canes alant ad terrendas feras, modo id fraudulenter non fiat. *arg. c. fin. X. de injur. c. 1. X. de consuet. in 6. l. 4. ff. de liber. agnos. l. 39. ff. de lib. fin. Cod. de injur. Bocer. class. 5. disp. 3. th. 21.* Reipublicae enim interest sata & frumenta à feris non devastari, quae nata & comparata sunt ad hominis usum atque sustentationem. Vide *Constit. Mauritii Saxoniae Electoris tit. Von Abscheuung des Wildprets von Getreidig: ibi: daß sie mit den kleinen Hunden/ die nicht Jagthunde seyn/ das Wildpret abscheuen.*

XVII. Prae-

Præter principem quærimus, an sit persona Venationis capax Clericus, Religiosus vel Monachus? Nos id negamus, per c. 1. *X. de cler. vel Mon. tot. tit. de Cler. venat. clem. 1. § porro. de stat. mon.* quod in Concilio Wormatiensi ita constitutum, postea est repetitum & renovatum in Tridentino: de reform. gener. cap. 12. sess. 24. ratio prohibitionis est non dictum Christi *Matth. 15. vers. 20.* non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus, qua utuntur Canonistæ post gloss. in c. Esau. distinct. 86. Speckhan. cent. 2. class. 1. illustr. quest. 2. num. 16. Et hoc verum de minoribus clericis, qui tamen ad piscandum admittuntur c. 1. & 2. *X. de cler. venat.* tanquam ad jus magis licitum & spectaculum minus cruentum: non vero majoribus, Episcopis, Abbatibus, Prælatibus: qui cum primo singularibus privilegiis venandi facultatem obtinissent, ut de Episcopo Verdenſi proditum est, tandem id in jus generale transit, ut non tam ex persona Clericorum quam Principum æstimentur. Studiolum etiam venationis capacem esse non censemus, secundum vulgatum illud, *Per pisces & aves multi perière Scholares.*

XVIII.

Quale ergo jus est jus venationis? R. I. Non est servitus personalis aut jus personale *Bocer. disp. 3. th. 23. Harpr. ad §. 12. Inst. de rer. divis. num. 138.* quia ut & jus piscandi ad hæredes sive posteros transit: dubium tamen non est, posse Dominum alteri personæ vel usufructum fluminis, stagni aut lacus privati concedere, vel jus etiam ejusmodi personale venandi, ut ipse solum ad dies vitæ venatione utatur, II. Non est servitus realis, quia

B 3 hæc

hæc debetur prædio §. 3. *inst. de servit. prædor. l. 1. §. 1. ff. comm. præd.* Jus autem venandi ad prædii utilitatem non pertinet, non negamus hoc jus pro quasi servitute prædiali in eo saltem haberi posse, quod aliquando non secus ac servitutes reales à sylva tanquam prædio serviente, debeatur castro vel villæ, tanquam fundo dominantis & ad hæredes transeat, *Harprecht. ad dict. §. f. 12. n. 18. post Geil. & alios quos ibidem citat.*

XIX.

Non etiam III. Jus venandi Regalibus annumerandum est: *l. 9. §. aucupiorum. l. 62. ff. d. usufr. l. 26. ff. de usur.* ubi hoc jus etiam ad privatos spectare potest: cum alia regalia soli Imperatori in signum præminentie sint concessa. *Rosenth. de feud. c. 5. concl. 2. & Feudistæ comm. ad tit. 2. Feud. 56.* nec possint sine ejus consensu ab eo qui accepit in alium transferri. *Ant. Peregr. libr. 1. de iur. Fife. tit. 2. num. 101.* Imo privatus ea usurpans crimen læsæ majestatis dicatur committere. *arg. l. 3. in fin ff. ad L. iul. Majest. Panormit. consil. 3. coll. 5. vol. 2.* Relatè tamen & respectu ad modernum venationis usum habito, jus venandi ad Regalia seu jura majestatis refertur. *2. Feud. tit. 56. Modest. Pist. consil. 14. num. 23. vol. 2. Menoch. Consil. 302. num. 31. Decian. Consil. 22. vol. 4. num. 22. Rosenth. c. 5. in præf. feud. conclus. 94. num. 8. Matth. Steph. lib. 2. de iurisd. p. 7. c. 7. num. 1. Decian. Vol. 4. Resp. 22. Menoch. consil. 302. num. 51. v. 22. Arum. disput. feud. 4. th. 15. Arnif. de jure Maj. lib. 3. c. 4. n. 10. Vult. 1. Feud. 5. n. 7.* Ideo Fridericus I, Imperator cum Suidoni Guerræ Comiti Hetruriae cum bonis regalia concederet, sub concessione venationes quoque expresse numeravit, *Car. Sigon. lib. 13. de Regal. Italia: & hoc adhuc hodie quotidie fieri docet*

cer

cet experientia, quando in investituris hæc clausula ad-
jecta legitur, mit Wälden / Wildbahnen und Jagten.
Thom. Mich. de iurisd. th. 51 lit. A.

XX.

Rectius ergo faciunt illi, qui Venationem in se & ab-
solutè consideratam, jus proprium esse & per se consi-
stens, separatumque, ut Feudum, Emphyteusis, Anti-
chresis, uti hoc facit *Bocer. & Harprecht.* quod Principi-
bus & Proceribus uti & privatis competat. *Gail. 2. Ob-
serv. 66. Noe Wenner d. tract. part. 2. tit. Woher Forst-
liche Obrigkeit fol. 12. & 13.* ni hoc dicamus, jus venandi
sine inextricabilibus difficultatibus ad unum genus re-
ferre non possumus. *C. I. A. de acq. rer. dom. th. 14.* Qui
venatur ex jure gentium, citra servitute[m] venatur, jure
proprio: Domini territoriorum in fundis privatorum
hoc faciunt jure servitutis, quibus hoc jus, quatenus in-
ter alia regalia hoc acceperunt, erit regale: imo feu-
dum, si à superiore in feudum acceperint: item Servi-
tus erit prædii, si castro aut territorio omnibusque ejus
possessoribus tribuatur in fundo aut flumine alieno: Ser-
vitus personalis, si certæ personæ concedatur: Jus sepa-
ratum, si emptum, conductum, precario concessum.

XXI.

Conceditur ergo hoc Jus tam infimæ quam supre-
mæ sortis hominibus, adeo ut etiam plures ex concessio-
ne in uno fundo venari possint, quæ convenatio aut simul-
tanea venatio dicitur, vulgo *die Ruppelsagt*: quæ quan-
do concessa, altero tamen inscio & invito exerceri non
debet. *Andr. Knich. 2. de pact. invest. 2 num. 14. Wehn.
in pr. Obl. verb. Forstrecht.* Et hæc concessio fit volun-
tate Principis expressa, pactionibus & stipulationibus,
inve-

investiturâ, so einer mit Forst und Jagtrechte belehnet wird: vel tacita, quia longissimo tempore venatione usus est, Principe sciente & non contradicente: non præscriptio-
ne tamen 30. annorum sed immemoriali, c. 26. *super quibus*. §. *præterea* x. d. v. s. l. 35. §. *dictus* aq. ff. de aq. quotid. & *astro*. R. A. zu Augspurg de anno 1584. S. Wann auch ein ausgezogener *in verbis* & c. Si tamen actus prohibitionis & patientiæ insequatæ intervenerit, etsi venatio res meræ sit facultatis, tempus tamen 30. annorum sufficiet ad exemplum aliorum jurium. l. 3. de præscr. 30. vel 40. annor. Matth. Steph. lib. I. de iurisd. c. 39. num. 16. Schurff. cent. 3. consil. 1. num. 21.

XXII.

Ad modum & tempus venationis vel piscationis concessæ quod pertinet, hoc diligenter quoque observandum: quare si indeterminate usus venationis fuerit concessus, quod tum quibusvis instrumentis venatio & piscatio possit exerceri, volunt: *arg. l. ff. de iurisd. l. 3. §. 8. ff. d. riv.* tam animatis quam inanimatis: illa sunt, canis, falco, accipiter, aves allicientes, *Lochvögel*/ canes Scotici & Anglici commendantur: item pastorales, saguttii, urfaritii, porcaritii, ductores, exploratores, argurarii *Spürhunde*, invalores, acceptores, valtes, *Winde*/ liberatores: Hæc sunt retia, laquei, cassis, foveæ, lagenæ, decipulæ, sclopeta, panther, Sic piscatio fit vel per retinacula seu retia, de quibus extat statutum *Einbecens* 115. quod prohibet retibus nimis adstrictis uti piscatores in devastationem piscium mollium & primitus germinantium: vel fit per repercussionem, lagenis, gargultrius, hamis, jaculis. c. non turbatur. & c. seq. 24. q. 1. Mohr. lib. de venat. 1. num. 15. & libr. 2. c. ult. n. 35.

XXIII.

Exercitium tamen venationis restringi debet & potest ad ea instrumenta, quæ non facile possunt esse nociva; quare non pro lubitu licitum est ponere laqueos, decipulas, pedicasve, *Schleiffen oder Selbgeschöß*/in locis, itineribus publicis: nec etiam foveas fodere ad capiendas feras, alias si in eas pecus inciderit, venator tenebitur ad refusionem damni: quare hic vicinos & proximos præmonere debet: *Exod. 21. v. 33.* Item restringi debet hoc exercitium ad justum tempus, nè scilicet fiat tempore imprægnationis & partus extra casum necessitatis, quare in multis locis venatione abstinendum sub pœna centum florenorum post Bacchanalia usque ad diem Bartholomæi, und zwar der Haasen- Schweine- und Füchsjagt: der Rehe- aber/ Hirschjagt/ post Bacchanalia usque ad diem Pentecostes, *Col. ad c. auditis. x. de præscr. in 6.* Nocturna etiam piscatio ubi & matutina ante Solis exortum etsi utilis sit ideo, quia tunc visus piscium fallitur *Plin. lib. 9. c. 6.* quare discipulos Christi nocturnam piscationem celebrasse volunt. *Ioh. 21. Luc. 6.* est tamen ideo prohibita, ne generatio piscium impediatur, quæ quietem requirit. *Plin. lib. 9. c. 3.* ubi etiam de sinu rubri maris scribit, ejus loci quiete præcipua belluas ad immobilem magnitudinem adlescere: ita & in jure civili veritum, piscationis gratia lumen accendere, ne navigantes illo deceptinaufragii periculum incurrant. *l. ne piscatores, ff. de incend. ruin. naufr. Capolla lib. 2. c. 43. n. 7. Gryph. de insul. c. 31 num. 159.* Ita de pharmacis sive visco venenoso, quibus pisces capiuntur, *Plin. lib. 25. c. 8.* extant statuta prohibitiva. *Coler. de cis. 101.*

Actiones de venatione vel etiam piscatione competentes, vel dantur de hisce juribus constituendis vel constitutis. Pro illis dabitur actio personalis, sicuti pro usufructu vel servitute, pacto, stipulatione vel alio contractu inter vivos constituto, ad hoc ut debeatur. *S. ult. Inst. de servit. prad. §. 1. Inst. de usufr.* Pro his per usum & patientiam constitutis competunt turbato actiones reales, puta confessoria & negatoria. *l. 2. pr. & §. 1. l. 10. ff. si serv. vindic. C. l. A. tit. de acquir. rer. domin. th. 19. num. 2.* item interdictum uti possidetis arg. *l. 20. ff. de servit. l. 8. §. 5. in f. ff. si serv. vindic.* item competunt quandoque mandata sine clausula, si ob jus venandi vel piscandi pignorationes intercedant, si modo uterque litigantium Jurisdictioni Camerali immediatè subiectus sit; sed & dantur actiones ex delicto, si quis impediatur piscari, cujus est actio injuriarum. *l. 13. §. ult. ff. de injur. & si forsan occurrat alia similis.*

XXV.

Jus venandi acquisitum amittitur rursus, si illud quis Domino cesserit. *l. 66. ff. de jur. dot. §. 3. Inst. de usufr. Gail. 2. Obs. 61.* Item si quis contra tempus, modum & pacta venandi jus exercuit. *l. 10. §. 1. l. 18. in pr. ff. quemad. serv. amitt.* aut si is qui jus venandi habet subditis & illorum fructibus damnnum dederit, per nimiam ferarum copiam, earumque intempestivam capturam: item si delictum aliquod grave ab Imperio quis fuerit proscriptus. *Ord. Cam. part. 2. tit. 9. §. So jemand vers. so bald auch der &c.* Si longissimo tempore quis non fuerit venatus, si modo prohibitio & patientia insequuta fuerit, Si autem quis venari non potuerit ob ferarum & instrumento-

09
mentorū venatoriorū penuriam jus venandi intra
hoc spatium temporis non amittitur. *arg. l. 34. S. cum l. seq.*
ff. de S. R. P.

XXVI.

De pœna contra edictum Principis venantis obser-
vandum & notandum, an casu capiatur fera, an ex pro-
posito: & hoc modo iterum, an hoc factum ex volupta-
te, an vero ex necessitate, quæ iterum est aut ex pauper-
tate aut ex defensione, & utroque casu venator potius
misericordia quam pœna dignus: si ex voluptate vel alia
quælibet causa venatus sit, considerandum an prohibi-
tioni certa pœna adjecta, vel non adjecta fuerit, illo casu
pro diverso respectu vel qualitate delicti, vel qualitate
personæ pœna pecuniaria vel carceris vel fustigationis
locum potest habere *l. 11. l. 13. ff. de pœn. l. 3. S. 1. vers. plane.*
ff. de acq. rer. dom. atque ita pœna arbitraria habebit lo-
cum §. 10. *Inst. de injur.* quam hic ad mortem non exten-
do cum illis, qui pœnarum gaudentes acerbitate, vivos
homines tanquam si parricidæ essent, cadaveribus fera-
rum inferuerunt, aut cervis impositos in avia dimiserunt,
ubi truncis & ramis arborum scedè discerpti, animam
efflavère. Probamus porius cum *clar. IC. Matth. iii. ff. de*
furtis, sententiam compilatoris juris Saxonici, *lib. 2. artic.*
61. Da Gott den Menschen schuff / gab er ihm gewalt
über Fische und Vögel und über alle wilde Thier. Dar-
umb haben wir das ein Urkund von Gott/ daß niemand
seinen Leib/ noch seinen gesund an diesen
dreyen verwircken möge.

Et

Hic teneat nostras anchora jacta rates.

C 2

MAN.





MANTISSÆ.

Doctor creatus in aliqua Academia, non tamen ideo in illa docendi accepit potestatem.

Occidens lupam vel aliam feram fœtam, cur duplex haberes præmium?

Nil debet esse in praxi, quod non sit in theoria: quare theoretici seu Academici frustra culpant practicos & hi rursus illos.

Jus nostrum rectè dividitur, quod aliud sit naturale, aliud scriptum.

Solum jus & æquitas naturalis cum experientia non sufficit regendis civitatibus, sed jus civile accedere debet, quod substantia sua à jure naturali est diversum.

Romanorum jus magis pertinet ad nos Germanos quam aliud ullum aliarum gentium.

An detur jurisprudentia quadam universalis, nulli affixa loco, & nullis finibus circumscripta? Aff.

Si omnia in corpore juris pro lege servanda, Justinianus noster magnus fuisset tyrannus.

Jus Romanum quia Latiali lingua conscriptum, inquiri, an harum literarum expertes obliget?

Recessus Imperii non simpliciter pertinent ad jus publicum.

Wesenbecius male jus omne dividit in publicum & privatum, & hoc in Naturale, Gentium & Civile.

Quæro adhuc adequatam juri publico definitionem.

Verum

Verum juris Iustiniani & Germanici uniois punctum est seculum XV.

Ius publicum nostrum, cladibus haecenus quam meritis cultorum suorum est illustrius.

Qui negant Ictos legum rationes historicas, philosophicas, analogicas rimari non debere, hieos ad vilissima plebis conditionem detrudunt & quasi exauctorant.

Circumspecti critici opera in iure non spernenda: erit enim velut alterius legum parentis & veri νομοϕύλαχου.

Sine studio antiquitatis ius nostrum idem nobis erit, quod Afi- no fabula.

Practica Philosophia non illuminatus, non est iuriconsultus, sed juris stultus.

Corporis juris Germanici adhuc artificem optamus.

Quid ab opum nimium amantibus praclarum esset expectandum?



APPLAUSUS VOTIVUS.

Præstantissimo, quâ Virtute, quâ Eruditione
Condecoratissimo Iuveni Viro,

DN. ALRICO HEYENGAH,
egregium utriusq; juris specimen publicâ hac
Συγγράμματος edenti, consecrans.


Quid prodest, rogo, codices per-
amplos
Lustrasse, & replicasse non minutam
Librâ congeriem, licet politum
Et doctâ genitum simul Minervâ,
Si nostrum haud animû periclitemur
Dextrè per varias probas subindè
Per frugi neque Disputationes?
Nonnun-

188.

Non nunquam quia reneri solemus,
 Nos hæc, aut alia inrimis tenere
 In cordis penetralibus reposta:
 Ast si sint facienda verba tandem,
 En nos ad trutinam precamur horas,
 Mens torpet, rapitur per hæc & illa:
 Lingua hæret, dare nesciēs loquelas:
 Hinc turpis pudor, omne dedecusq;
 Si quidquā magis ergo fructuosum
 Phœbejos *juveni* Choros *Colenti*,
 Hoc esse, asseruisse non pudebit:
 In pugnis *Academia* *incruentis*
 Nomen, *junctum* opera, *dedisse*, *gnavi*.
 Tu pugnas, animo, quia has, virili
 Hæ *ijen* *gah* aggredieris, nihil timēte
 Tela hæc, quæ caput in tuū gregatim,
 Forti missa manu licet, volabunt.
 Isthoc cuiq; modo exhibes probatos
 Nisus in studiis Tuos abunde,
 Demonstrasq; palā, quodd undecūq;
 Mittantur jacula, hæc minus nocere
 Possint, nempē, Tibi bene antē visa.
 Quin cūm materiem Tuæ revolvo

Claram pectore velitationis,
 Quā doctē saragis docere *lura*
Venatis, hodie ferē recepta
 Solis Principibus, sibi volunt qui
 Solis, non aliis, greges fuisse
 Cum Rege Assyrio datos ferarum,
 Ad mentasq; suas bene apparandas
 Cervos & capreas simulq; Damas,
 Ut quondam Salomonis, asferendas:
 Næ vel Principibus Viris placere
 Conari mihi velle sic videris:
 Vel monstrare Tuæ infidere menti
 Solers ingenium, Artium bonarum
 Virtutis cupidum, ac solent fuisse
 Qui trañant *Studia* in feras *Diana*:
 Intendas digitum vel hanc vel illam
 In partem facis hoc, ubi profectō
 Non possū Tibi non Tuisq; pulchris
 Gratari ex animo ausibus favente.
 Faxit cuncti potens poli solique
 Rex, faxit, Tua ut in dies adaucta
 Virtus, eximie Deo supremas
 Laudes conficiat, Tibiq; Honores,

*Facit in nunquam intermoriuram, consueta inter
 commensales necessitudinis, reminiscētiā ab*
 JOH. JANOVSKI P. U.
 Illustrissimorum Dominorum Comitum
 in Ysenburgo & Büdinga Ephoro.



D Elia quid Themidi? Themidi quid delia? forsan
 Venandi studium quos latet, ecce, putant.
 At venatores equidem venabula tractant:
 Verum venandi jura Themis dirimit.
 Tu quoq; venaris (felix venare) brabeum,
 Proq; ferā cervā vera Minerva foret.

*Hæc paucula condonesticō ac consalino suo suavissimo
 apponere voluit*
 FRIDERICUS BAURMEISTERUS,
 Med. Stud.



ULB Halle

3


006 301 096



V017







6
Pri. 2. num. 18. P. 1. 19.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE VENANDI,

1671, 1.

Quam,
Divini Numinis aspirante gratiâ,

Sub PRÆSIDIO

Nobilissimi, Clarissimi & Consultissimi VIRI,

DOMINI

ARNOLDI MAURICII
HOLTERMANNI,

U. J. D. Consilarii Hassiaci & Professoris
Ordinarii,


Ad diem 9. Septembr. hujus locog. solitis,

Publico examini subjicit,

ALRICH HEIJENGAH,

Embdâ Frisus Orientalis,

LL. & Philof. Stud.



MARPURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. LXXI.

